

ILLO QVI סכל וביקרה LARGE EFFUSEq; PETENTIBUS DONAT,  
ET AMPLISS. FACULT. PHILOSOPH. FAVENTE,

PRÆSIDE

VIRO

NOBILISSIMO, AMPLISSIMO atq;  
EXCELLENTISSIMO

DN. M. JOHANNES WEISSIO,  
ETH. ET POLIT. PROF. PUBL. ORDIN. LONGE LATEq; CELE-  
BRITATIS FAMA NOTISSIMO, PHILOSOPH. FAC. SENIORE  
MERITISSIMO, ET PROMOTORE AD FUTURUM  
ACTUM MAGIST. RITE DESIGNATO,  
DN. PATRONO, PRÆCEPTORE AC HOSPITE  
SVO AETERNUM COLENDO,

DISPUTATIONEM HANC INAUGURALEM

De

PRUDENTIA

PRO SUMMIS IN PHILOSOPHIA  
HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

DECENTER CONSEQUENDIS

IN INCLYTA LUDOVICIANA

AD D. 7. KAL. AUG. M DC LXXX.

H. LOCOq; CONSV.

PUBLICE EXAMINANDAM PROPONIT

CHRISTIANUS LUCIUS,  
DRESDENSIS.

GISSÆ HASSORUM,

Literis Academicis KARGERIANIS, An. M DC LXXX.

Diff. 233(18)

46.

~~###~~ ~~###~~

*NOBILISSIMIS. AMPLISSIMIS, CON-  
SULTISSIMIS. PRUDENTISSIMIS.*

DOMINIS.

CONSULIBUS.

ET. COETERIS. INCLUTÆ.

REIPUBL. DRESDENSIS. SENATO-  
RIBUS. PATRIÆ. PATRIBUS.

Sächs.  
Landes-  
Bibl.

EVERGETIS. SUIS. ET. PROMOTO-  
RIBUS. OBNIXO. STUDIO. IMPENSE.

COLENDIS. ET. ÆSTIMANDIS.

*IN. CERTISSIMI. GRATI. ANIMI. SIGNVM.*

*VERÆ QVE. OBSERVANTIÆ. KPITHPION. HANC.*

*DISPUTATIONEM. INAUGURALEM. HU.*

*MILITER. INSCRIBIT.*

AUTOR.



I. N. J. S. T. M.

PROOEMIUM.



Quandoquidem has partes disputa-  
tandi ob certas & justas causas, quas, ne  
prolixiores simus in præsentì, omittimus,  
declinare nequimus, non longâ præfatio-  
ne & ambagibus cuiquam erimus molesti, aut prolixè ar-  
cesserimus initia. In ipsam rem veniemus potius, & quod  
nobis de PRUDENTIA Virtute Intellectuali, omnium  
moralium Virtutum moderatrice & directrice dicendum  
sumplerimus, eloquemur.

THES. I.



Postquam autem hujus Virtutis adyta  
penetremus, initiò quærendam esse & tra-  
ctandam ducimus, & quidem paucis, no-  
minis explicationem, quod, unde ortum  
trahat, operæ pretium est, cognoscere. He-  
bræis est חכמה à rad. חכם & בִּינָה à rad.  
בין & בון intellexit, expendit, dijudicavit.

Rabbin. Vir prudens salutatur emphaticè: מִבֵּין דְּבַר מִחוּךְ דְּבַר

Germ. Der alles durch und durch versteht. Dicitur iisdem et-  
iam עָקַל à rad. עָקַל novit, scivit, certus fuit. Ut & עָקַל

A à rad.

à rad.  $\text{לָרַץ}$  prudens fuit, intellexit, sapuit. Si sumus  $\text{לְרַצִּים}$  prudentes,  $\text{לְרַצִּים}$  & intelligentes sumus. Dicitur etiam iisdem  $\text{לָרַץ}$  à rad.  $\text{לָרַץ}$  Chald.  $\text{לָרַץ}$  &  $\text{לָרַץ}$  intellexit, prudens fuit, cognovit, vidit, providit, consideravit, prospexit. Hinc per metonymiam  $\text{לָרַץ}$  prosper fuit, felix, quod prudentibus omnia feliciter cedant. Ecce  $\text{לְרַצִּים}$  felix erit servus meus. Prudentiam felicitas verè sequitur.

Es. LII.  
v. 13.  
Ios. I. 7.

II. Græcum nomen est  $\text{φρόνησις}$ ,  $\text{εως}$ , quod à  $\text{φρονέω}$  ( q.  $\text{φρονέω}$ , ) intelligo, cogito, sapio &c. Hinc *Plato*:  $\text{φρονήσεως δὴ ἔκ ἄπαιμελῆ}$ , prudentiæ curam non geris. Et *Isocrat.* ad *Nicol.*  $\text{δέδωκε παρῆρησιάν τοῖς φρονᾶσι}$ , permittite prudentibus liberè loquendi facultatem.  $\text{φρόνησις, ἀπὸ τῆς φρονός}$ , à mente, s. intellectu.

III. Latinis *Prudentia* dicitur; deducitur à *prudente*, hic autem à *providente*. A *providendo prudentia* est appellata, dicitur *Oratorum* facilè Princeps *Cicero*. Hinc *Thomas*, *Prudentia* nomē sumit à *providentiâ*. Quia per *Prudentiam* quisque providet, quid amplectendum, quid fugiendum, quid eligendum, nec nō quomodo ad circumstantias loci, personarum &c. aliquid applicandum sit, de quibus infra. Conf. *Prætorii* Meletem. *Eth.* art. 6. Rejicimus ergo illorum ridiculam deductionem, qui ex Græc.  $\text{φροῦδων}$ , quod ex  $\text{φροῦζω}$  fluit, unde  $\text{φροῦδη}$  *Prudentiam* deducunt. Hæc de Etymologiâ.

473.

IV. Nunc ad Homonymiam : Vocabulum *Prudentia* non ubique apud Autores similiter acceptum fuisse, videre est in *Tullio*, & *Thom.* loc. cit. A *Picolomineo* dividitur in divinam & mortalium propriam. *Divina* sumitur vel pro *prudentiâ* eminenti, quâ DEUS *providentiâ* suâ perspicacissimâ universum hoc gubernat. Et hæc DEO convenit non secundum rationem materialem, quam habet, ut est in creaturis; sed juxta formalem & abstractam considerationem, removendo sc. à communi *Prudentia* conceptum omnem imperfectionem, quæ aliàs in creaturis datur, & id, quod

de Orat.  
Es l. 2. de  
div. Es l. 3  
ad Heren.  
Phil. de  
Mor. gr.  
s. c. 34. p.  
464. ead.

perfectio-

perfectiōnis remanet, DEO unicè vindicādo. Vel pro *Prudentia* singulari, quā *Angeli* à DEO sunt ornati & condecorati. *Prudentia mortalium propria* itidem duplex est, vel naturalis, vel humana. *Naturalis* sumitur pro naturali sagacitate, quā naturæ instinctu formicæ colligunt grana, apes favum conficiunt, & Regem sequuntur, hirundines pro temporum varietate loca mutant; quo sensu etiam serpentes à Salvatore nostro deprædicantur prudentes, estque improprie talis. *Humana* similiter *Math. X* duobus accipitur modis, vel latè, vel strictè. *Latè* sumitur pro 16. qualibet notitiâ, quæ homini aliquam largitur perfectiōnem, & vel intellectū in cognoscendo perficit, vel voluntatem in agendo dirigit. Ita Metaphysicam Aristoteles vocat *prudentiam*. *I. Met.* Et de Socrate meminit Aristoteles, quòd omnes virtutes nominaverit *prudentias*. *Strictè* sumitur pro virtute dirigente *V. Eth.* virtutes morales, & præscribente media ad finem ducentia. Et *cap. ult.* hæc est, de quâ agimus.

V. Restat pertractanda *σοφροσύνη*, verum quia ferme nulla datur, merito se vertit nostra dissertatio, relictis præliminaribus, ad

## PROPOSITIONEM I. DEFINITIONEM COMPLE- TENTEM.

I.

**P**RUDENTIA, est (1) habitus (2) intellectus practici (3) verâ cum ratione activus, seu (4) inclinans ad rectè statuendum per actum imperii, quid in quovis casu particulari agendum sit (5) circa ea, quæ & bona, & mala homini sunt.

II. Dicitur (1) *Habitus*: Non enim dicitur prudens, qui unum aut alterum actum prudenter elicit; sed qui variis & diversis actibus consuevit prudenter operari, quod non contingit fieri sine *habitu*.

A 2

III. Dici-

III. Dicitur ( 2 ) *intellectus practici*. *Dua sunt anime intellectiva*, ut *intellectiva est, partes, sive potentia intellectus*, per quem cognoscimus, & *voluntas* per quam appetimus, vel respicimus, quod ab intellectu cognitum est. *Intellectus* in se consideratus, unus cum sit a parte rei ( neque enim ulla ratio apparet, quae satis sit ad realem distinctionem suadendam ) per respectum ad actus, quos producit, & habitus, quos in se recipit, variis modis distinguitur. 1) Distinguitur in *Mentem & Rationem*. *Mens* est ipsa intellectus essentia. *Ratio* est ipse intellectus ut discursivus est. Per hanc rationem ex entibus intellectualibus homines tantum rationales appellantur. 2) *Ratio* dividitur in *superiorem & inferiorem*. *Ratio superior est*, quae versatur in aeternis conspiciendis aut consulendis. *Conspiciendis*, dum ea in se ipsis speculatur; *Consulendis* dum ex eis accipit regulas agendorum. *Ratio inferior est*, quae circa temporalia versatur. In aeternorum genere *DEUS*, & divina; in temporalium genere omnes creaturae secundum esse naturale videntur ponenda. 3.) Dividitur *intellectus* in *speculativum & Practicum*. Quae divisio sumitur a fine, ad quem ex natura sua actus intellectus ordinantur: *Aliqui enim actus* in sola veritatis speculatione sistunt, & hi *speculativi* nominantur; *aliqui* cognitionem ad opus ordinant, & dicuntur *practici*. Utrique tum *speculativi*, tum *practici*, aut circa Principia versantur, quae per se, ac primo sunt nota; aut circa ea, quae ex aliorum praecognitione ratiocinando cognoscuntur.

IV. Ad omnes autem hos actus facile & eodem modo semper, & cum delectatione producendos, requiruntur habitus, pro actuum sibi respondentium varietate diversi. Praecipui, qui inclinant ad verum, ac proinde, qui reddunt intellectum bene dispositum ad actum rectum, *virtutes intellectuales* appellantur, sex sunt; tres in intellectu speculativo: *Intelligentia, scientia, sapientia*; tres in practico: *Synteresis, Prudentia, Ars*, de his agit Aristoteles excepta *synteresi*, quam forte

VI. Eth.  
Nic. VII.

forte

fortè vel sub *PRVDENTIA* comprehendit, ut ei necessa-  
riò prærequisitam; aut potiùs sub *intelligentiâ*, quia habet ra-  
tionem speculativi, cum sit de objectis, quæ non possunt ali-  
ter se habere, ut ex ejus *definitione* intelligitur. Conf. Magnif. & summè Rev. Dn. D. *CALVIUS*, *THEOLOGUS* undi-  
quaque celebratissimus, Patronus noster summè venerandus.

*Gnosto-  
log. part.  
2. C. III.  
Cap. 2.  
p. m. 31.*

V. *Intelligentia* est habitus *primorum principiorum*, qui  
relinquitur ex actibus, qui circa illa versantur, & reddunt in-  
tellectum magis expeditum ad similes actus eliciendos. *Prima*  
autem *principia* dicuntur propositiones, quæ per se notæ sunt,  
è quibus omnis cognitio philosophica, quæ per naturam ha-  
beri potest, dependet, & non indigent probatione, ut iis in-  
tellectus assentiatur, præter explicationem terminorum. Quale  
est illud: Totum est majus quâlibet suâ parte. vid. *Magnif. D.  
Calov.* Huic intellectus statim assentitur, ac totum & pars, quid  
significant, intellexit. Dicuntur autem *principia*, quia ex his de-  
venitur in cognitionem aliorum, adhibitò discursu. Hic ha-  
*bitus intellectus* appellatur, eòdem nomine, quò potentia intel-  
lectiva, cui inhæret, quia illi valdè propinquus est. *Scientia* est  
habitus ad rem demonstrandam, certòque concludendam  
idoneus, seu qui ex primis & notioribus ad ignotiora progred-  
ditur, eaque aliter se habere non posse ostendit. Is habitus  
*scientia* nominatur. Græc. *ἐπιστήμη* ab *ἵσθαι* i. e. à stando. *Sa-  
pientia* est intelligentia & scientia, de rebus nobilissimis, quæ-  
que de principiis aliarum scientiarum judicat. Tribuitur huic  
habitu nomen *sapientia*, quia in unaquâque doctrina, & arte  
peritissimi quiq; *sapientes* appellantur. ut: *Apelles sapiens Pictor,  
Polyclerus sapiens Statuarius* &c. vid. Maximè Reverendum Dn.  
*D. RUDRAUFFIUM*, Præceptorem nostrum nullo non ob-  
servantiæ genere colendum. Ergò per excellentiam & abso-  
lutè *sapientes* appellandi, qui causas & naturas omnium ex-  
cellentissimas norunt. *Sapientia* & à *Philosopho* dicitur o-  
mnium cognitionum exactissima, imo præstantissima; hinc, si  
genus quoddam ex habitibus intellectualibus *Theologia* tri-  
buunt, inter omnes *sapientiam* proximè ad ejus Naturam acce-  
dere, confitentur nonnulli non infimi subsellii *Theologi*; vid.  
*GERHARDUS L.L. Th.* cujus scriptis omnis posteritas infigit  
veneranda oscula.

*Noolog.  
part.  
gen. c.  
II. p. m.  
46.*

*Inst.  
Mor.  
part. III.  
C. XII.  
p. 347.*

*Proëm.  
de Nat.  
Theol. p.  
m. 2. §. 10*

VI. *Synteresis* est habitus principiorum practicum, quæ nobis à naturâ indita sunt. Ea sunt virtutum moralium fines, quibus positus fit progressio ad electionem mediorum, ut in temperantiâ finis est, esse delectationibus tactûs temperatè utendum. *Hæc principia*, ut patet, ad *praxin* tendunt. Quare quoad modum practica sunt, licet quoad rationem essentialens videantur *speculativa*, quia sunt de objecto, quod non potest aliter se habere. Sunt autem de objecto universalis, quia tradunt universalium præceptorum moralium seu civilium veritatem non attingendo singularia seu particulares eorundem casus. *Ex his autem principiis universalibus* deducitur quid agendum sit *circa singularia*, & praxes circa illa. Atque harum actionum, & praxium habitus *Prudentia* est. Prudentes enim appellare solent ii, qui sciunt consultare, quæ præcipua sunt inter βουλευτὰ consultabilia, nempe quæ ad bona hominis spectant, ut homo est: spectant autem maximè ad ea bona virtutes morales, & earum fines. Ergò propriissimè *PRUDENTIA* est habitus is, qui propositis per Synteresin virtutum moralium finibus, deducit ex iis, quid circa eorum acquisitionem agendum sit. Quia verò sunt & alii fines, qui non spectant ad bonum hominis, ut homo est, seu non spectant ad honestum morale, sed artificiale; quibus positus, consultat intellectus ac deliberat, præcipitque, quid ad eorum acquisitionem sit necessarium. Atque habitus iste, qui ad eam consultationem ac praxin inclinat, *Ars* appellatur, quæ definitur: *Habitus cum ratione conjunctus, ad efficiendum idoneus*. Effectio autem dicitur omnis operatio, quæ pendet à directione rationis, & non spectat ad bonum hominis, ut homo est. Porro *artis* definitio, quam tradidimus, quod vera sit, probatur ex eò; quia *nulla ars* datur, quæ non sit habitus cum ratione conjunctus, ad faciendum idoneus; & nullus talis habitus est, qui non sit ars.

VII. Est autem *inter artes* differentia, quædam enim *circa opus externum versantur*, quæ post operationem opus relinquunt, ac proinde præter operationem habent opus pro fine; ut *ars ædificandi*, quæ post ædificationem domum relinquit.

*Quædam*



*Quaedam in solâ operatione sistunt, nihilque post illam relin-  
quunt; ut est Ars Syllogizandi, sive differendi. Priores maxi-  
mè, ac propriissimè Artes appellantur: quia illæ maximè à  
PRUDENTIA distinguuntur, cum earum operatio sit pro-  
priissimè factio, quæ est objectum artis, contradistinctum ab  
actione, quæ est objectum PRUDENTIÆ. E posterioribus, Conf.  
quæ circa motum corporis versantur, ut Ars saltandi, sonandi, Scheurl.  
mediò quodam modò se habent. (Insignia artium & artifi- Diff.  
cum opera summò studiò recenset Excellentiss. Dn. PRÆSES, XVII.  
quem B.L. vid.) Quæ verò mentis opera dirigunt, facultates §.17.  
potiùs quædam, quàm artes dicendæ sunt, deservientes scien- Comp.  
tiæ, ut sunt Logica, Grammatica & Rhetorica. Eth.*

VIII. Porro dividi 4) solet *intellectus in scientificum & Major.  
opinativum. In quâ divisione scientificum minùs latè patet, Exerc.  
quàm speculativum. Speculativus enim intellectus dicitur, qui II. de virg.  
versatur in solâ contemplatione veritatis, non progrediens ad Intell.  
praxin: potest autem contingere, ut ea speculatio non sit evi-  
dens, quia non habet principia interna rei, quæ contemplanda  
proponit. Scientifica verò speculatio est evidens. Quare  
speculativus intellectus utramque speculationem complectitur  
tùm scientificam, tum inevidentem, sive ea certa sit ex causis ex-  
ternis, sive etiam incerta. Opinativum autem latius patet, quàm  
practicum, contingit enim etiam in objectis speculativis opi-  
nari. Id est, affirmare aliquid, vel negare, non quia scitur, sed  
quia videtur. Duplex autem opinio est, altera vera, altera  
falsa. PRUDENTIA & Ars, habitus practici, licèt semper  
opinativi sint, quia sunt circa singularia contingentia, quæ pos-  
sunt aliter se habere, sunt tamen ex naturâ suâ veri, quia eo-  
rum actus semper conformes sunt appetitui recto. PRUDEN-  
TIA, positò appetitu finis honesti, expensis omnibus circum-  
stantiis, verè ac rectè præcipit hòc, vel illò modò aliquid a-  
gendum, quanquam ex parte rerum, in quibus versatur,  
propter earum inconstantiam & varietatem contingere potest,  
ut erret. Alterum autem genus opinionis est, quæ ex se non  
est vera, licèt interdum accidat esse veram. Non est autem  
vera ex se, quæ in opinando non progreditur ex motivò certò.*

Atque

Atq; hoc opinionis genus in suis judiciis assentiri solet cum dubiō & formidine. Ex his colligitur verba illa *PROPOSITIONIS*, quibus dicitur: *Prudentiam esse habitus intellectus practici*, potuisse etiam alio modo efferri, nempe: *habitus intellectus opinativi*. Nunc ad reliqua *Propositionis* verba veniamus.

IX. (3.) *Verâ cum ratione activus*: *Activus* dicitur i. e. *actionum operativus* dirigendo illas, ac præcipiendo. Quâ particulâ tùm à *speculativis* habitibus distinguitur, tùm ab *arte*, quæ factivus habitus est. Quid autem est in *PRUDENTIA* vera ratio? *Judicium verum de agendis ab homine, ut homo est*. Agenda autem sunt ab homine, quæ appetitui recto conformia sunt, quare *judicium verum* est, cum quæ dicit agenda, vel non agenda, verè ab homine habente appetitum rectum agenda, vel non agenda sunt. Dicitur ergò recta ratio, seu *judicium verum* ex conformitate cum appetitu recto. *Rectus* autem appetitus ille est, qui appetit bonum hominis ut homo est. Cognoscitur autem is finis per *judicium Synteresis*. Quare ratio, quâ *Prudentiâ* utitur, recta seu vera est ex conformitate, quam ultimatò habet cum hominis fine, seu cum *judicio Synteresis*. Eadem proportionaliter dicenda de *Arte*, cujus *judicium verum* dicitur, cum conformatur cum appetitu appetente bonum hominis naturale, seu finem, quem artis *Idea* præscribit.

X. Dicitur (4.) *inclinans ad rectè statuendum per actum imperii*. Ut hæc meliùs intelligantur, intelligendus est ordo actuum tùm *voluntatis*, tùm *intellectus*, quibus homo progredi solet ad actionum praxin. Principiò autem explicandi sunt ipsi actus. *Appetitionis* seu prosecutionis actus involuntate sunt: *Voluntas, Intentio, Fruitio, Electio, Consensus, Usus*.

XI. *Voluntas* propriè dicitur ille actus, quo appetimus aliquod bonum absolutè, non referendo illud ad aliud bonum, quod bonum dicitur *Finis*, sive ex se referatur ad aliud, sive non referatur: quia à voluntate appetitur propter se, modò in actu exercito. Denominatur autem ille actus *voluntas*, à potentiâ, à quâ est, quæ simplex est, & absolutè tendens à potentiâ in objectum.

XII. *Intentio* est actus voluntatis circa finem ab intellectu propo-

propositum, ut prosequendum per aliqua media. Dicitur actus voluntatis, quia intendere est in aliud tendere; id autem motum dicit. Movere autem se & alias potentias ad finem prosequendum, ad voluntatem spectat. Quia finis habet rationem Boni; Bonum autem est objectum voluntatis. Dicitur esse circa finem, ut prosequendum per aliqua media: Quia tendentia in aliquid tanquam in terminum, per media esse solet.

XIII. *Fruitio* est delectatio de bono, quod possidetur. Delectatio autem de bono possessio, nihil aliud videtur esse, quam quies quaedam amoris. Quare *Fruitio* ad voluntatem spectat, quia amor actus voluntatis est. Confirmatur: Quia *Fruitio* ut & *Fructus* habent quandam rationem ultimi consequentis ad ceteras operationes. Habet autem magis rationem ultimi voluntatis actus, quam intellectus; cum voluntatis actus non sit, nisi consequatur ad actum intellectus. Atque *hi tres actus: Voluntas, Intentio, Fruitio, sunt circa finem, sive sit finis ultimus, sive medius.*

XIV. *Electio* proprie est ille actus, quo appetitus amplectitur illud medium, quod intellectus, animadvertens aliis mediis ad finem, concludit per discursum præ aliis esse amplectendum. Objectum ergo *Electio* est medium, idque quod in nostrâ est potestate, ut habet *Aristot.* quia *electio* est de mediis ad finem prosequendum; non prosequimur autem finem, quem prosequi non est in nostrâ potestate. Ex quò etiam colligitur, *electionem* esse eorum, quæ per nos aguntur; quia finis vel est aliqua nostra actio, vel alia res, circa quam aliquâ nostrâ actione versamur. Posset autem *Electio* nomen latius usurpari, ut *eligi* dicatur omne illud, quod ratio concludit esse aliis quomodocunque anteponendum; & sic etiam actiones per alios exercendæ possunt cadere in *electionem*, licet sit actus voluntatis circa medium; connotare tamen duo, nempe & *judicium intellectus de medio ex multis eligendo, & actum intentionis circa finem per media prosequendum.* Posset autem contingere, ut non sit nisi unicum medium ad aliquem finem, & ut intentio circa finem non sit actu, cum est actus appetitus circa medium; & in utrôq; casu non videtur negandum, eam *medii appetitionem esse ve-*

*Nic. II.  
III. Eth.*

ram electionem, modò ita præcesserit intentio finis, ut intelligatur implicitè in appetitione medi: non enim est appetitio medi, ut medi, (quod requiritur ad veram electionem,) nisi id, quod appetitur, actu vel virtute referatur in finem; quod fit per actua-lem, vel implicitam connotationem intentionis finis.

XV. *Consensus* est actus voluntatis, quo illa se applicat ad id, quod est ei per consilium ab intellectu propositum tanquam expetendum. Idem autem videtur esse à parte rei *consensus*, quod *electio*, quia utraque est de medio, quod per consilium proponitur expetendum. *Differunt autem ratione*; quia *eadem appetitio*, quatenus absolute sequitur iudicium intellectus, dicitur *consensus*; quatenus verò est potius hujus medi, quam aliorum, aut simpliciter est circa medium; & quatenus connotat intentionem finis, *electio* appellatur.

XVI. *Usus* est actus voluntatis, quò illa *potentias* applicat ad operandum, & assumit aliquid in facultatem suam; seu, est volitio efficax, quâ volumus aliquam potentiam exercere operationem suam. Ex quò intelligitur, objectum *usus* esse medium, quia id, quod ad aliud refertur, medi rationem habet. Porro *potentia*, quæ à voluntate applicantur, sunt *tum intellectus*, *tum inferiores potentia*, *tum ipsamet voluntas*, quæ actus suos per modum efficientis causat, & ad hos producendos activè, physicè & realiter concurrat. Vid. *Exc. Du. Praes.* Quamvis autem *Consensus* & *electio* sint circa medium; non sunt tn. semper idem actus, *tum* quia *usus* potest interdum esse ante electionem, ut cum voluntas applicat intellectum ad consultandum de mediis; *tum* quia cum *usus* est post electionem, potest contingere, ut factâ electione nondum applicetur potentia ad exequendum seu operandum objectum electionis, Quod si quandoq; contingit, actum esse eundem electionis & *usus*, ut cum intellectus utrumq; simul proponit, medium, & executionem ejus: tunc idem actus voluntatis erit *electio*, ut tendit in medium utile ad finem; *Usus*, ut tendit efficaciter in executionem ejus, atq; ut *electio* spectat executionem præcisè, ut medium; ut *usus*, directè, tendit in potentiam, impellendo eam ad exercitiu operationis. Jam ab hoc actu voluntatis, qui præcipuè ac propriè *usus* est, denominantur etiã *usus*, *tum actus intellectus* quò

diff. de  
Lib. Arb.  
lib. 12.

quò *usus* voluntatis dirigitur (intellectus enim iudiciò suo objectū repræsentando, voluntatem dirigit, ut potentiis utatur (*cum operatio aliarum potentiarū*, quatenus depēdet ab *usu*, leu applicatione voluntatis. Est & alius voluntatis actus, qui *velleitas* appellatur. Est autem *Velleitas* complacentia quædam de actu voluntatis futurò sub conditione, i.e. qui fieret, si aliqua conditio adesset, vel si res esset possibilis, ut est is actus: *Vellem volare, si fieri posset*; quia actus est complacentia de voluntate volandi, quæ non est, sed futura esset, si volatus mihi esset possibilis.

XVII. Veniamus nunc ad operationes *intellectūs*; quibus ad actionum praxin progredimur, ii sunt: *Consilium seu deliberatio, s. consultatio & imperium*. *Consilium* duos actus habet: *Questionem s. inquisitionem, & iudicium*. *Inquisitio* est actus, quò, suppositâ intentione finis, ratiocinamur circa media, inquirendò illa, & examinandò, quid valeant ad finem. *Iudicium*, est actus, quò, positâ inquisitione, per rationem concluditur quid sit agendum. *Materia s. objectum consultationis*, ut docet Aristoteles, est ( $\alpha$ ) *bonū* ( $\beta$ ) *contingens* ( $\gamma$ ) *situm in potestate nostra*, ( $\delta$ ) *arduum*, ( $\epsilon$ ) *qua situm ob finem*; ( $\alpha$ ) *Bonum*, quia bonum omnia appetunt. ( $\beta$ ) *Contingens*, quia de iis, quæ aliter fieri non possunt, non est consultatio. ( $\gamma$ ) *Situm in nostra potestate*, quia  $\delta$  *ἔχων* i. e. mentis compos, non consultat de rebus merè fortuitis, aut iis quæ unicè pendent ex arbitrio aliorum, qualia nos impedire non possumus; sed de iis, quæ consultatione nostrâ regi & temperari queunt. ( $\delta$ ) *Arduum*, quia de levioribus vel facillimis & notissimis, ut plurimum deliberat nemo. ( $\epsilon$ ) *Qua situm propter finem*: nam de fine non est deliberatio, nisi ordinetur ad alium finem, & tunc se habet ut medium. Porro ordo, quo *deliberatio* procedit, est resolutorius, id est, ab effectu ad principium ipsius, nempe ab eo, quod est in executione ultimum, & in intentione habet rationem finis, & primi ad primū, à quò debet executio incipere, ut sequatur effectus, qui intenditur, i.e. finis. Propositò enim fine aliquò, dubitat mens, quid agendum ad illum assequendum, & inquirat varias vias, quousq; inveniatur potissima, & ibi sistit *inquisitio*; indeq; incipit executio.

III. Eth.  
Nic. III.

ἐφ' ἡμῖν.  
πρὸ τῶν  
ἀπὸ τύχης.  
τὰ ἀλό-  
για.  
πρὸς τὰ  
τέλη.

XVIII. *Imperium est actus intellectus, quò cum intimatione quãdam sibi homo proponit, quid agendum sit? Qui actus differt à judiciò, quia iudicium dicit tantum, quid sit agendum? & exprimitur per verbum indicativi modi: Hoc est bonum; Hoc fugiendum. At imperium est proximè ac immediatè activum, & significatur per verbum Imperativi, Fac &c. Quamquam autem ea intimatio est actus intellectus, quia intimare est ordinare, quod est cognitio exercitii seu actus à potententiã executivã in praxi ponendi; attamen conjuncta est cum actu voluntatis: Nihil enim præcipitur faciendum, nisi voluntas illud velit præcipi, ut omnes experimur. Atque adeò ea intimatio quoad exercitium seu in genere causæ efficientis pendet à voluntate: Non enim format eam intimationem intellectus, nisi motus à voluntate; movet autem voluntas, quatenus vult exire in actum secundum, seu elicitem volendi, & non potest, (cum ipsa sit facultas cœca) nisi simul adsit cognitio objecti. Eò ergò modò, quo voluntas est principium sui actus, est simul principium actus intellectus intimantis. Ex quo sequitur, ut simul tempore sint actus volendi, & intimatio: sed voluntas in genere causæ efficientis seu moventis est prior naturã actu intimationis. Intimatio autem in genere causæ formalis est prior natura volitione, quia illam specificat.*

XIX. Ex his colligimus, positã intimatione efficaci, necessariò ex hypothesi poni actum voluntatis; quia simul uterque actus fit, & pendet ab eòdem principio, nempe voluntate. Porro duplex ea intimatio est: Altera quæ concomitatur omnem simpliciter actum voluntatis, necessaria voluntati ut exire possit in exercitium volendi, ut explicatum est. Altera, quæ consilium & electionem consequitur, quæ intimatio executioni mandat, quod per electionem est volitum. Atq; hæc intimatio nobis est magis nota, quia fit post consultationem, multis prius actibus præcedentibus; priorem autem vix advertimus, quia per eam nos determinamus ad appetendum simpliciter, vel intendendum finem, sive objectum. Rursum posterior intimatio duobus modis se habere potest; vel enim intimamus voluntati quid ab ipsã tantum agendum sit, vel simul quid per ipsam sit agendum ab aliis potentiis; in hõc secundò modò intimationis sæpissimè contingit separari

separari *usum* ab *imperio*, i.e. non fieri *actum usus*, cum fit *actus imperii*: quia non semper consequitur actus aliarum potentiarum ad *imperium* voluntatis. Non potest autem dici proprie *usus*, nisi cum actu adest id, quò uti volumus.

XX. Ea porrò *quæ imperantur*, seu *actui imperii* subjiciuntur, sunt 1) *omnes actus intellectus*, quoad exercitium. Pendent enim omnes à nostra libertate, ut fiant, unde studemus, contemplamur & discurremus, quando & quicquid volumus; quoad actus autem specificationem i.e. ut *actus intellectus* sit assensus vel dissensus, non pendent à nostrò imperiò ii, qui habent causas necessarias, & convincentes intellectum: nemo enim, si modò est sanæ mentis, potest non assentiri primis principiis, & conclusionibus demonstratis per illa. Pendet autem à nostrò arbitriò assentiri, vel dissentire, cum non suppetit causa convincens, quâ intellectus suû assensum vel dissensum suppeditare tenetur; atq; ita pendet à nobis relinquere opinionem magis probabilem, & adhærere minùs probabili; nisi per errorem putemus, rationes opinionis magis probabilis esse necessarias. 2.) *Actus appetitus sensitivi imperantur quidem, sed non omni ex parte. Imperantur*, quatenus pendent ab imaginatione, quæ subest imperiò voluntatis, quæ sæpè phantasiam avertit ab imaginatione hujus vel illius rei, & ad aliud quid cogitandum flectit. *Non omni ex parte imperantur*, quatenus nobis invitis interdum concitantur, & nobis volentibus non concitantur; 3.) *Actus membrorum exteriorum*, qui pendent à potentiis sensitivis, quantum est ex se, omninò subduntur voluntatis imperio, quâ ratione manum aut pedum vel reliquorum membrorum agilitas labore comparata pendet à voluntate membra movente, quæ planè herile imperium in ea exercet, ut refragari ipsi planè nequeant.

XXI. Actus autem animæ vegetativæ non imperantur, nec membra ut pendent à potentiis ejus animæ; quia nihil est capax imperii, nisi capax sit apprehensionis: non est autem capax apprehensionis hæc anima. Quamvis autem actus hujus animæ, ut: *Nutritio, augmentatio & generatio* prorsus non substant nostro arbitrio; est tamen in nostrâ potestate determinatio vel applicatio appetitus sensitivi, membrorum & aliorum,

rum,

rūm, quæ ad circumstantias aut præcedaneos animæ vegetativæ actus pertinent. Jam verò sciendum, quamvis *Imperium* sensu laxiori ita sumatur, ut hæctenus explicatū est, *sumi adhuc Aristus* pro actu, quo superior aliquis imperat suo subdito, ut aliquid faciat. Atque hæc *Imperii significatio* est *primaria*, ad quam *analogiam* dicit 1) *quivis actus voluntatis* aut suo modo *rationis*, ex quò alius actus humanus consequatur. Ita actus iudicii, & omnis actus voluntatis, qui impellit vel movet ad alium actum, *imperium* appellari potest; secundum hanc acceptionem solemus dicere, unam virtutem alteri imperare, cum ex unius virtutis actu, ut *charitatis*, impellimur ad exercendum actum alterius virtutis, ut *Misericordie*. 2) *Analogiam ad imperium superioris* dicit ea *intimatio*, quæ supra explicata est, quæ *modò* magis *strictò imperium* appellatur. Hæc *intimatio* cum ad electionem consequitur, *Prudentia* actus est, quam in propositione diximus inclinare ad rectè statuendum *per actum imperii*.

XXII. Quod antequam probemus, cognoscendus est *ordo*, qui est in actibus tum intellectus, tum voluntatis, quibus ad electionem & actionem progredimur. Actionem nunc vocamus actum ultimum voluntatis, qui consequitur ad illius imperium, quod fit post electionem & specificatur ab illò; item operationem quantamcunque potentiarum ab eò voluntatis actu pendentem. *Ordo* ergò *actuum* is est, 1) *Apprehensio finis*, i.e. rei alicujus absolutè secundum se, 2) *Judicium*, quod ea res sit conveniens, i.e. bona. 3) *Voluntas*, quæ placet homini, sive probatur res ipsa. 4) *Apprehensio*, quod ea res sit possibilis ad consequendum. 5) *Intentio*, quæ est appetitus eam rem consequendi. 6) *Usus*, quò voluntas applicat intellectum ad consultandum de mediis. Quamvis hic actus non sit semper explicitus, sed subintelligitur. 7) *Consilium*, quo deliberatur de mediò, & concluditur, quod sit aliis præferendum. 8) *Consensus voluntatis & electio*. 9) *Imperium*, quò intimatur voluntati, ut utatur potentiis executivis. 10) *Usus*, quo voluntas applicat efficaciter potentias ad executionem. 11) *Ipsa potentiarum executio*, quæ, si per eam obtineatur finis, est realis consecutio ipsius. 12) *Fruitio*, sive delectatio & quies appetitus in re jam obtentâ.

Omniem



Omniem autem voluntatis actum antecedit illa *intimatio*, de qua §. XVIII. supra. §. XVIII. & sequ.

XXIII. In hoc actuum ordine ultimus actus, qui ad intellectum spectat, est *imperium*, quod ad electionem consequitur. Ad hoc *imperium* rectè formandum dicimus formalem *PRUDENTIÆ* rationem requiri; probatur 1.) ex Aristotele, V. Eth. Nic. XII. qui ait, non posse quempiam prudentem esse nisi bonus sit; & XIII. hoc autem homini semper competit ratione *imperii*, quia hoc necessariam connexionem habet cum appetitu rectò, à quò pender, & cum actione recta voluntatis, ut supra explicatum est. Præterea *PRUDENTIA* dicitur esse *præceptiva*, non *indicativa*. 2.) *PRUDENTIA* definitur *habitus verà cum ratione activus*. Hoc munus immediatè exercetur per actum *imperii*, ergò ratio *PRUDENTIÆ* imprimis convenit habitui, qui in hunc actum inclinatur. 3.) Si quis contra *PRUDENTIAM* peccet sciens & volens, magis peccare censetur: si quis autem contra artem aliquam peccat sciens & volens, minus peccare putatur, quàm si peccet ignorans. Id scilicet ex eò contingit, quod actio artis propria consistit in judicandò, cui opponitur ignorantia: *PRUDENTIÆ* autem actio in rectè imperando. *Imperiò* autem *rectò* magis opponitur electio prava ex malitià, quàm ex ignorantia. Atque hæ rationes videntur sufficere in re morali.

XXIV. Porrò quia Aristoteles *Consultationem & Judicium* dicit esse actus prudentis, & solent prudentes dici, ac putari, qui rectè deliberant ac judicant de agendis: ideò dicendum etiam *actus consultationis & judicii* ad *PRUDENTIAM* pertinere, non quidem ad formalem rationem illius, ad quam spectat *imperium*, ut rationes allatæ suadent; sed ad *rationem materiale*, ut pertinet materia ad Physicam hominis considerationem; sive ad *rationem potentialem*, ut animæ potentiæ ad animam pertinent, quia ei deserviunt in operando. Dicendum ergo, ut homo est quid compositum ex corpore & animâ rationali, & ut anima admittit compositionem cum suis potentiis, ita perfectam *PRUDENTIAM* esse habitum quendam ex quatuor habitibus compositum, *Embuliâ, Synesi, Gnome,* 6. Eth. c. 5. & II.

infr.  
PRO-  
POSIT.

VI Th. I.

§ II.

εὐβουλία

γνώμη  
hæc vox  
vix satis  
accuratè  
à Latinis  
exprimi  
potest.  
(Senten-  
tia.)

*Gnome*, *Prudentiâ* pressè sumptâ; quorum tres priores se habent, ut materia vel partes potentiales, *ultimus* ut pars formalis.

XXV. *Eubulia* est habitus, qui circa *rectam consultationem* versatur. *Recta* autem *Consultatio* est, quæ & bonum sibi finem proponit, & media ad illum assequendum licita inquirit, nec præceptum in deliberando est, quod ex vehementi cupiditate contingere solet, nec nimium tardè, sed maturè, ac lentè festinans & tempestivè ad consultandum accedit, ne rei benè gerendæ occasio dilabatur. Plura si mavis, evolve quæso disp. Dn. L. *Mencken*. Lips. An. 1671. habitam. *Synesis*, (vertitur ab Heinsio, notante Senguerdio in versione paraphrasis Andron. Rhodii *intelligentia*,) quæ est perspicacia, est habitus inclinans ad rectè secundum leges communes & ordinarias judicandum de singularibus agibilibus, quæ cadunt sub imperium *PRUDENTIÆ*. *Gnome* est habitus inclinans ad rectè de singularibus agibilibus judicandum præter communes regulas secundum altiora quædam principia, seu secundum rationem naturalem, cum lex alia deficit. Ad hunc habitum spectat exempli causâ judicium de non reddendô impugnatori Patriæ depositô, & de veniâ dandâ quibusdam erratis, præsertim quæ per ignorantiam aut infirmitatem fuerunt commissa, ut loquitur *Senguerdus*, & judicia, quæ ex æquô & bonô feruntur.

XXVI. Hi tres habitus & inter se, & à prudentia pressè sumptâ, & à cæteris habitibus intellectualibus distinguuntur. *Differunt inter se* & à prudentiâ, tum *ratione objectorum*, quæ diversa inter se sunt, & habentia peculiare difficultates, ut ex iis, quæ hæcenus dicta sunt, intelligi potest; tum *ratione divisionis*, quia contingit interdum eos à se invicem separari: accidit enim non rarò, aliquos esse benè consultivos, non judicativos, aliquos benè judicativos secundum communes leges, non secundum altiora principia; aliquos, cum hæc habeant, non tamen esse activos per actum imperii, & cum cæteris sint illis facilia, habere tamen magnam difficultatem in exeundo in actum actionis; Quid autem hi habitus differant à cæteris habitibus intellectualibus, clarè intelligitur ex iis, quæ supra in hanc

hanc primam *PROPOSITIONEM* de intellectu *speculativo* & *practico* diximus. Nos in posterum cum line additō *PRUDENTIAM* nominabimus, intelligi volumus aggregatam ex his quatuor habitibus: *Eubuliā*, *Synesi*, *Gnome*, *Prudentiā* *presse sumptā*.

XXVII. Dicitur deniq, (s.) *circa ea, quæ & bona & mala homini sunt.*) His verbis explicatur differentia, quā *PRUDENTIA* differt ab arte.

## II. PROPOSITIO. DE OBJECTO.

### THES. I.

*PRUDENTIÆ* objectum est singulare agibile conforme appetitui recto, seu medium ad fines, quos intendunt virtutes morales.

VI. Eth.  
Nic. VIII

II. Quòd versetur prudentia circa *singularia* probatur 1.) *autoritate Aristotelis*, ubi docet, juvenes non esse prudentes, quia in rebus singularibus *PRUDENTIA* versatur, quarum cognitio usu comparatur: & *PRUDENTIAM* non esse scientiam, quia scientia *universalium* est, *PRUDENTIA* *singularium*, 2.) *Ratione*, quia *PRUDENTIA* est habitus activus: actio autem circa *singularia* versatur, & quamvis ab omnibus *singularibus* abstrahi possit conceptus communis; non respicit tamen *PRUDENTIA*, ut activa est, sua objecta secundum illum conceptum, sed ut *singularia* sunt, quia tendit ad illorum existentiam, quæ non est nisi cum determinatione rei ac *singularitate*; quicquid enim existit, determinatum ac *singulare* est. Non solum autem secundum *actum imperii*, quod immediatè praxin attingit, *PRUDENTIA* circa *singularia* versatur, sed etiam secundum *actum deliberationis & iudicii*: quia hi actus, quamvis interdum aliquid universale enunciant; necessarium tamen est, ut ultimatè ad *singularia* descendant; cum inquirendum sit & iudicium ferendum de mediis, quæ venire debent in praxin, quæ non possunt esse nisi *singularia*. Dicit quispiam, *Legislatorum PRUDENTIAM* circa universalia versari, quia leges, circa quas condendas eo-

C

cum

rum *PRUDENTIA* versatur, universale objectum habent. Resp. Legem, ut est Objectum Prudentiæ, quæ est in Legislatore, esse quid *singulare*: Deliberat enim Legislato, an his, & his circumstantiis positis hæc lex condenda sit, & statuit esse condendam; totum autem *singulare* quid est. Ut autem lex involvat ordinem ad alios, quos dirigit, habet objectum universale, quia in communi præcipit, quid agendum sit?

Prop. I.  
Th. XIV.  
& Th.  
XVII.

III. Quod objectum Prudentiæ sit *agibile*, intelligitur ex iis, quæ supra diximus, cum *Electionis & Consilii* rationes explicaremus. Porro *singulare agibile* dicit contingentiam, quia quod *agibile* est, potest esse, & non esse. Quod autem contingens est, pendet ab *agente, loco, tempore, sine & aliis*, quæ circumstantiæ nominantur. Quare *particulare* s. *singulare agibile*, (non universale,) quod quibusdam placet, non solum dicit id, quod cadit sub actionem, sed etiam omnes ejus circumstantias, notante Max. Rever. Dn. D. Scherzero, Prof. Publ. Theologo celeberrimo, Patrono ætatem devenerando.

Brev.  
Eustach.  
Eth. qu.  
XLIX.  
p. 142.

IV. Ratio formalis objecti Prudentiæ est *conformitas cum appetitu recto*, rectitudo autem cui debet conformari objectum *PRUDENTIÆ*, est illa, quam habet appetitus ex habituali prosecutione Finium, quos synteresis præscribit: Media enim debent esse conformia fini, ad quem tendunt. *PRUDENTIA* autem versatur circa media, ut mox explicabimus.

VI. Eth.  
Nic. XII.

V. Dicimus objectum *PRUDENTIÆ* esse *media ad fines, quos intendunt virtutes morales*. 1.) Quia hæc est differentia inter synteresin & Prudentiam, quod cum utraque sit habitus intellectualis, qui versatur circa *agibile*, illa fines virtutibus moralibus præscribit, hæc Media. 2.) Quia docet *Aristoteles*, virtutum Moralium objectum esse finem, *Prudentia Media*: Opus, inquit, & ex prudentiâ & ex morali virtute perficitur. Virtus enim propositum scopum; *PRUDENTIA*, quæ ad ipsum tendunt, recta efficit. Et *idem*: perspicuum, inquit, est & *PRUDENTIAM* esse opus, & sine *PRUDENTIA* & sine virtute esse electionem rectam non posse: eo quod hoc τὸ τέλος, finem; illa τὰ πρὸς τὸ τέλος ποιεῖ πρᾶξιν, sive quæ ad finem tendunt, ut agamus, facit. 3.) Quia ex *Aristotele* *PRUDENTIA* circa ea versatur, quæ in consultationem cadunt, sed

Loc. cit.  
Cap. XIII  
ἀνευ φρο-  
νήσεως,  
ἢ ἀνευ  
ἰσότητος.

sed de iis consilium quærit nemo, quæ aliter se habere non possunt, & simpliciter necessaria sunt; verùm ea in consultationem cadunt, quæ aliquo modo obscura sunt, & adhuc in dubium vocantur. PRUDENTIA ergò non versatur circa fines, qui debent esse certi, sed circa media. Quod Aristoteles aperte docet, dum ait: Prudentiam non esse de iis, ὅσων μὴ τέλος τὶ ἐστὶ, quorum finis aliquis non est. 6. Eth. Nic. 7.

VI. Sciendum autem, duplex esse genus mediorum, alia enim media sunt externa fini; alia interna, ut sunt actiones & actionum materia, in quibus ut in subiecto, est ipsa formalis ratio, ac bonitas finis: Subiectum enim, seu materia ordinatur ad formam suam tanquam in finem, propter quem est. ut quoddam medium. Circa utrumq; mediorum genus PRUDENTIA versatur; circa externa dirigendo illa ad finem; circa interna, determinando in casibus particularibus, quæ sit cuiusq; virtutis mediocritas, seu medium inter excessum & defectum. Ex quibus fit, ut licet finis non sit directè objectum PRUDENTIÆ, respicitur tamen à PRUDENTIA ut terminus, ad quem dirigit media congruentia; atq; ab illâ subjectivè attingatur, licet non formaliter, ratione materiæ, quam PRUDENTIA præscribit. Formaliter autem attingere finem ac directè, esset ejus rationem formalem præscribere ac definire, quod PRUDENTIA supponit factum per Synteresin; ut scientiæ habitus prima principia, quibus in ratiocinando utitur, supponit per intellectûs habitum apprehensa.

VII. Atque hæc de PRUDENTIÆ Objecto, ac fine, ex quibus intelligi potest, quæ sit in PRUDENTIA Methodus. Progrediendum enim est ex fine ad inquisitionem mediorum illi congruentium; & hinc ad iudicium medii præ aliis eligendi; indeq; ad actum Imperii.

### III. PROPOSITIO.

DE

## SUBJECTO.

THES. I.

(1) PRUDENTIA vera & (2) perfecta in (3) solis bonis reperitur, in (4) Juvenibus autem perfecta esse non potest.

C 2

II. (1)

II. (1) *VERA PRUDENTIA* dicitur, quæ circa bonum agibile versatur. *Falsa*, quæ non ad bonum, sed ad malum finem, per imitationem veræ *PRUDENTIÆ*, solerter & providè idonea media adhibet.

III. *PRUDENTIA* (2) *perfecta* est tum *ratione actus*, quæ non tantum consistit in Consiliò & Judiciò, sed ad Imperium efficax progreditur; tum *ratione finis*, quæ non in unâ tantum actione bonum finem sibi proponit, sed in totò humanò institutò.

IV. Hanc *veram & perfectam PRUDENTIAM* dicimus non reperiri in *hominibus malis*, (3) sed *tantum in bonis*, id est, in iis, qui habent in appetitu habitus virtutum moralium, modò præcipuarum, & quæ ad omnes pertinere possunt. Probat 1) quia ad perfectam *PRUDENTIAM* spectat in quòvis casu, de quòvis agibili secundum rectam rationem in particulari constituere; at experientia docet & Aristoteles, ita unumquemque solere in particulari aliquid sibi bonum esse judicare, ut est effectus ad illud. Confirmatur, quia ut *PRUDENTIA* rectè præfigat media uni virtuti, debet spectare fines aliarum virtutum, ne illis ullâ ratione ea media sint disconvenientia, alioquin ea essent deserenda, quippe non consona rationi, at, ut rectum iudicium de eâ discrepantiâ feratur, debet homo esse etiam benè affectus erga fines aliarum virtutum. Ergò *perfecta bonitas* requiritur in homine, ut perfectè prudens sit. Probat 2) Quia actus Imperii rectus semper est conjunctus cum actus appetitus rectò, ut intelligitur ex iis, quæ supra dicta sunt de Imperiò; ergò *PRUDENTIA*, quæ in omnem hominis actionem se extendit, qualis est *PRUDENTIA perfecta*, est cum appetitu rectò circa omnem actionem, qualis appetitus in *solis bonis* reperitur. *PRUDENTIAM* autem *imperfectam*, nudam sc. faciendorum notitiam possunt etiam mali habere, ut patet experientia, nempe eam, quæ sistat in solo Consiliò & Judiciò, aut unum aliquem vel alterum particularem finem respiciat.

V. Quod *Prudentia perfecta* (4) in *Juvenibus* esse non possit, docet Aristoteles, & ejus ratio est, quia *PRUDENTIA* est habitus, qui versatur circa singularia, ut diximus; ergò acquiritur

3. Eth.  
Nic. c. 4.

PROP. I.  
§. XVIII.

6. Eth.

Nic. c. 8.

PROP. II

§. II.

quiritur per actus frequentatos circa singularia, qui actus aliò nomine dicuntur experientia; at experientiam circa varios casus particulares qualem *perfecta* PRUDENTIA requirit, *longitudo temporis* affert, quæ proinde in *juvenibus* esse non potest; ergò nec PRUDENTIA perfecta. Et quamvis seniorum doctrina multùm juvet, experientia tamen opus est, ut PRUDENTIA existat perfecta.

## IV. PROPOSITIO.

### De PRINCIPIO EFFICIENTE.

#### THES. I.

PRUDENTIÆ Principia, *Natura*, *Experientia*, *Affectus rectus*.

II. PRUDENTIÆ Principia ex quibus ipsa oritur, & per quæ crescit, & conservatur, plura sunt, 1) *Natura tum ratione Synteresis*, quæ circa universalia Principia practica versatur. Quibus PRUDENTIA utitur ad majorem propositionem formandam in suò Syllogismò, per quem concludit, ac statuit de particularibus agendis; *tum ratione temperamenti*, quod in quibusdã est aptius, quàm in aliis & ad consultandum, & ad judicandum, & ad virtutes quasdam morales, cum quibus, ut supra diximus, PRUDENTIA connexionem habet; *tum ratione provecta ætatis*, quæ ob diuturnum experimentum magnum habet ad PRUDENTIAM præsidium.

PROP. I.  
§. VI.

III. 2) PRUDENTIÆ Principium est *Experientia*, quæ de similibus, aut dissimilibus casibus docet simili aut dissimili modo judicare. Ad hoc Principium attinet Exemplum bonum, & eruditio Seniorum ac Sapientium, qui suâ experienciâ & sapientiâ Juniorum experientiam suppleant. Hòc Principio PRUDENTIA utitur ad minorem sui Syllogismi propositionem formandam.

IV. 3) Principium est *rectus appetitus affectus*, qui magnâ ex parte pendet à virtutib<sup>9</sup> moralibus, ab eo autem PRUDENTIA pendet, *tum quoad Deliberationem & Judicium*, *tum quoad Imperium & seq.*

PROP. I.  
§. XVII.

*Imperium*, ut supra diximus. Quare cum *affectus* hi appetitu pergunt esse pravi, PRUDENTIA corrumpitur, præsertim circa præcipuum ejus actum, quod est *imperium*. In quò PRUDENTIA differt ab *Arte*, quia cum *Artis* præcipuus actus sit *Judiciũ*, quod ex experienciã pender, ac memoriã singularium. *Habitus Artis* proprius oblivione non pravitate *affectus* aufertur.

## V. PROPOSITIO.

De

### PRUDENTIÆ PROPRIETATIBUS.

THES. I.

**D**Uæ videntur esse *Prudentiæ*, ut circa imperii actum versatur, præcipuæ proprietates, ( $\alpha$ ) *Conformitas* cum appetitu rectò ( $\beta$ ) *rectitudine morali*, & ( $\gamma$ ) *Sollicitudo*.

II, *Pro primâ proprietate* sciendum, omnem actum & habitum intellectûs habere *conformitatem* cum suò objectò, quia est expressa repræsentatio illius, & hæc *conformitas* dicitur veritas, de quâ in *Logicâ* & *Metaphysicâ* disputari solet. Sed præter hanc *conformationem* cum objecto habet actus rectus imperii ( $\alpha$ ) *conformitatem* cum appetitu rectò, i. e. cum appetitu appetente, intendente bonum, quia cum ille actus imperii versetur circa media, media autem debeant esse fini congruentia: tunc censetur ille actus esse rectus, cum est circa medium ad finem, seu bonum, quod appetitur ab appetitu. Si enim esset de mediò, quod esset *conforme* alteri fini, non esset actus prudens ac proinde nec rectus, esset autem rectus, etiam si à parte rei medium non esset *conforme* fini, modò secundum rectas regulas rationis judicaretur *conforme* fini; *rectitudo* ergò actus imperii sumenda est ex ordine ad appetitum. Quod quia etiam in arte reperire debet, nempè ut artis imperiũ *conforme* sit fini, qui intenditur; ideo in PROPOSITIONE addidimus ea verba: *rectitudine morali*. ( $\beta$ ) *Moralis rectitudo* est in appetitu, cum appetitur bonum morale, id est, bonum homini, ut homo est. Propriũ ergò PRUDENTIÆ est habere *conformitatem* cum appetitu rectò *rectitudine morali*; cum artis proprium sit habere *conformitatem*

tem



sem cum appetitu recto rectitudine naturali. Ratio porro, cur actus PRUDENTIÆ sit rectus & verus, cum conformatur cum appetitu recto, etiamsi à parte rei medium non sit conforme fini, ea videtur esse: Quia homo est agens intellectuale, quod agit cognoscendo conformitatem mediorum cum fine; quare conformitas mediorum cum fine desumenda est, non à mediis & fine, ut sunt à parte rei, sed ut sunt sub hominis cognitione. Recta igitur ac vera est directio mediorum ad finem, etiamsi à parte rei non sit conformitas eorum cum fine, modò cognitio conformitatis sit rationalis, id est formata secundum regulas rectas rationis; is enim est modus agendi humanus.

III. Quod autem PRUDENTIÆ proprietas, ut ad imperium inclinatur, sit ( $\gamma$ ) sollicitudo, id est, celeritas in operando & exequendo id, quod est consultatum à ratione & definitum per actum iudicii, docet Aristoteles ex aliorum sententiâ, quam non improbat, inquit: Cito agenda esse  $\tau\alpha\ \beta\alpha\lambda\epsilon\nu\theta\epsilon\nu\tau\alpha$ , quæ consultaveris, tardè verò ac diu consultandum. Et ita Thomas. Et probatur ratione: nam cum quid rectè in particulari consultatum & definitum est, nihil superest, nisi ut fiat. Pertinet ergò ad minus laudemq; PRUDENTIÆ, sine inutili morâ illud voluntati ac executivæ potentivæ proponere efficaciter per imperium, ut executioni mandetur. Cavendum est autem ab inquietudine mentis circa superflua & inutilia; circa quæ tarditas potius laudatur & cunctatio, qualis in Magnanimo esse solet, ut indicat Thomas ex Aristotele. Quod ipse Spiritus S. innuit, cum PRUDENTEM  $\text{חַכְמָנִי}$  s. intelligentem  $\text{שְׂאֵי דְּרֵי רִקָּה}$  & frigidi Spiritus Virum salutatur. PRUDENS enim non fervorem animi effundat, sed tardè & refrigeratè quasi animò res suas gerat. Hinc Germ. nostri. Ein fluger Mensch ist kalt sinnig. Fervor sanguinis rarè aliquid boni suadet. Luth. vertit: Und ein verständiger Mensch ist eine theure/werthe/edle Seele.

VI. PROPOSITIO.

PRUDENTIÆ PARTES POTENTIALIALES tres: Eubulia, Synesis, Gnome.

I. Quæ ad hujus PROPOSITIONIS explicationem faciunt, petenda

6. Eth. 6.  
9.  
 $\beta\alpha\lambda\epsilon\nu\theta\epsilon\nu\tau\alpha$   
 $\theta\alpha\ \eta$   
 $\beta\epsilon\alpha\delta\epsilon\omega\varsigma$ .  
22. quest.  
47. art. 9.  
vid. Præ-  
laud. Dn.  
Weils.  
in Comp.  
Eth. min.  
p. m 284.  
cit. loc.  
IV. Eth.  
Nic. c. 3.  
Prov. 17.  
v. 27.

v. Dn. D.  
Scherzer  
cit. loc. p.  
143. §  
da 144.

Supr.  
PROP. I.  
Th.  
XXIV.

da sunt è superioribus, ubi habentur singularium partium rationes & differentia, & innuitur ratio, cur *potentiales* appellentur, nempe quia respectu PRUDENTIÆ *pressè sumpta* habent se ut potentia ad actum, à quò perficitur: Actus enim illarum ordinantur ad actum imperii, ut ad ultimum, à quò perficiuntur in esse practicò. Vel habent se ut potentia ad essentiam; qui actus earum deserviunt imperio, qui est actus PRUDENTIÆ *pressè sumpta*, ut potentia deserviunt essentia.

## VII. PROPOSITIO.

DE

### PRUDENTIÆ PARTIBUS INTEGRALIBUS.

Conf.  
Prelaud.  
Dn. D.  
Scherzer.  
cit. loc. p.  
143.  
2. 2. 9v.  
49. Art.  
1.

Th. I. PRUDENTIÆ Partes integrales octo: 1) *Memoria* 2) *Intelligentia*, (3) *Docilitas*, (4) *Solertia* (5) *Ratio*, (6) *Providentia*, (7) *Circumspectio*, (8) *Cautio*. Has partes numerat *Thomas*. Dicuntur autem *integrales* non propriè, sed per similitudinem quandam. Nam ut *partes integrales* alicujus corporis propriè dicuntur eæ, sine quibus corpus non constat perfectum; ita *partes integrales PRUDENTIÆ* dici possunt eæ mentis functiones, sine quibus non est perfectus usus PRUDENTIÆ.

II. 1) *Memoria*, est cognitio præteritorum. Quod hæc requiratur ad perfectum usum PRUDENTIÆ, probatur, quia PRUDENTIA pendet ex experienciâ; Experientia est habitus ex frequentatis experimentis relictus: Experimentum autem ex pluribus *memoriis* pendet, i. e. ex pluribus cognitionibus singularium, quæ eodem modo contigerunt; Hinc fit, ut qui sunt male *memores*, sint minùs prudentes, ut in senibus decrepitis contingere solet. Præcepta ad *Memoriam* firmandam legi possunt apud Thomam.

2. 2. 9v.  
49. Art. 1  
ad 2.

III. 2) *Intelligentia* est cognitio præsentium. Hæc cognitio & *intellectus* dicitur. *Intellectus* hòc modò acceptus differt ab intellectu, quatenus aliàs *habitus intelligentia* notat; quia *hic est de Objecto universali*, quod aliter se habere non potest; *ille autem de singulari & contingente*. *Hic* de primis Principiis; *ille* de extre-  
mis.

nis. *Hic*, ut Synteresin complectitur, seu ut est de primis principiis practicis, est de fine in communi, *ille* de fine in individuo; *hic* contra distinguitur à prudentiâ, *ille* PRUDENTIÆ Pars est. Non potest autem esse perfectus usus PRUDENTIÆ sine hâc intellectu, quia non potest esse perfectum iudicium de agendis, & praxis singularium, nisi intellectus rectum sensum habeat de illis: Ut enim fines universales, ita & particulares se habent ut principia, è quibus deducitur praxis circa illos.

IV. 3) *Docilitas* est cognitio per alterius doctrinam, sive habitus inclinans ad suscipiendam eruditionem aliorum. Suscipitur autem illa vel voce, vel scriptis libris. *Docilitatem* hanc requiri ad perfectam prudentiam, intelligitur ex iis, quæ supra dicta sunt. *Docilitas* secundum aptitudinem est à naturâ, sed perficitur studiô, dum sollicitè, frequenter ac reverenter inducitur animus ad audiendum, aut legendum documenta Majorum, nec ea ex ignaviâ, vel superbiâ negliguntur.

V. 4) *Solertia* est cognitio per propriam inventionem bene conjectando; seu bona & velox conjectatio; seu Habitus inclinans ad repentiè inveniendum, quod congruit. *Differt à consultatione*, quia illa est cum ratiocinatione: Conjectatio verò non ratiocinatur. Juvat autem PRUDENTIAM, quia juvat rectâ consultationem: Cum enim particularia, circa quæ PRUDENTIA versatur, non sint satis nota, conjecturis quoque in illorum dijudicatione utendum est.

VI. 5) *Ratio* est cognitio per illationem unius ex aliô; seu habitus ad benè argumentandum inclinans. Pendet autem ex illâ perfectus PRUDENTIÆ usus, tum quia PRUDENTIA versatur circa singularia, quæ non sunt satis per se nota, quare oportet illa per alia notiora cognosci, tum quia consultatio, quæ est PRUDENTIÆ pars potentialis, nõ est sine ratiocinatione.

VII. 6) *Providentia* est ordinatio aptorum mediorum ad finem; seu habitus ad hanc ordinationem inclinans. *Differt ab imperiô*, quia *Providentia* formaliter posita & in ordinandis ad finem mediis rectè consultatis & iudicatis: *Imperium* autem positum est in præcipiendo executionem hujus ordinis. Quia verò hoc Præceptum, qui est præcipuus PRUDENTIÆ actus, sup-

D

ponit

ponit ordinationem, ideò *Providentia* est pars valdè necessaria *PRUDENTIÆ*, est pars precipua, quia juvat actum præcipuū: & ideò solet interdum *PRUDENTIA* denominationem sumere ex hâc principali parte integrante *imperium*, & appellari *Providentia*.

v. PROP.

IX. §. II.

seq.

VIII. 7) *Circumspectio*, est accurata consideratio circumstantiarum quæ necessaria est ad perfectam *PRUDENTIAM*; quia *PRUDENTIA* versatur circa *singularia contingentia*, quæ ut habeant debitam mediorum convenientiam cum fine, pendet à circumstantiis: necessaria ergò est non solùm *Providentia*, quæ ordinat media ad finem, sed etiam *Circumspectio*, quæ comparat id, quod ad finem ordinatur, etiam cum iis, quæ illud circumstant.

IX. 8) *Cautio* est provisio quædam & machinatio adversus mala contraria, quæ obstare bonis consiliis possint; est necessaria *PRUDENTIÆ*, quia in *contingentibus operabilibus*, circa quæ *PRUDENTIA* versatur, bona plerumque impediuntur à malis, & mala habent bonorū speciem, quibus *cautione* occurritur.

### VIII. PROPOSITIO.

## DE PRUDENTIÆ PARTIBUS SUBJECTIVIS.

TH. I.

**P**ARTES *PRUDENTIÆ* *subjectiva*, i. e. de quibus *PRUDENTIA* prædicatur, ut de speciebus sibi subjectis, *duæ* sunt, nempè *Prudentia particularis*, quæ versatur circa *bonum particulare proprium*; & *Gubernativa multitudinis*, quæ per se versatur circa *bonum commune aliorū*. Rursum *Gubernativa* quatuor habet species subjectas: 1) *Prudentiam militarem*, quæ versatur circa *bonum commune exercitūs*; 2) *Oeconomicam* seu *domesticam*, quæ versatur circa *bonum domūs*, quâ quis familiæ suæ bene consulit & prospicit de bonis utilibus, vid. Excellentiss. Dn.

Comp.

Eth. min.

p. m. 275.

*PRÆSIDEM*; 3) *Politicam regnativam*, quæ est in Principe circa *bonum commune civitatis*. 4) *Politicam simpliciter dictam*, quæ est in subditis circa *idem bonum commune civitatis*. Hæc

PRU-

**PRUDENTIÆ** divisio facilè intelligitur ex ipsius **PRUDENTIÆ** ratione: Est enim *præceptiva* & *ordinativa* mediorum ad finem, atque ad hoc utitur deliberatione ac judiciò.

II. Contingit autem (1) *media*, ac proinde actus **PRUDENTIÆ**, qui circa illa versantur & ab illas specificantur, *diversa esse*, pro diversitate boni, ad quod ordinantur. Valdè autem diversum est bonum proprium cuiusq; à bono communis. Ergò & præceptio ac regimen, id est, prudentia circa media adhæc duo bona, diversa est. Rursum diversa est ratio gubernandi familiam, & exercitum & Rempublicam, & gubernandi se ipsum in ordine ad bonum Reip. & in obediendo imperantibus; & hæc non sunt ejusdem laudis & difficultatis, sed omninò diversarum, & ratio se rectè habendi in his pendet ex experiètiis inter se diversis. Ergò & diversæ sunt **PRUDENTIÆ** species, quæ circa hæc versantur. Ab omnibus autem his speciebus abstrahitur ratio **PRUDENTIÆ** in communi, quæ generatim definitur: *Recta ratio agibilium*. Dices: Rectè consiliare & agere circa bonum commune est de perfectione maximâ ipsius agentis. Ergò est bonum agenti. Ergò eadem prudentia specie est, quæ versatur circa bonum particulare, & bonum commune. *Re. PRUDENTIAM* diversificari specie ex bonò, quod spectatur in agendo. Cum autem prudenter agitur circa bonum commune, nò particulare. Quare licet ex hac actione perficiatur ipse agens, quia tamen in agendo eam perfectionem non spectat per se, sed bonum commune, ideò diversa est *PRUDENTIA* à *PRUDENTIA particulari*. Præterea satis est ad diversificandam *PRUDENTIAM* Ratio directiva. Diversa circa diversa agibilia, ut supra dictum est, quæ non habent connexionem debitâ, ad constituendam unam specie *PRUDENTIAM*, quæ ratio diversi agibilis facit, ut distincta specie sit *Politica* in subditis, à *Regnativâ*, licèt utraque spectet idem bonum commune; quia Prudentia versatur circa agibilia, ergò ab his specificatur.

III. (2) Porrò sæpè contingit, *prudentiam*, ut habet pro objecto bonum particulare proprium operantis, ratione illius boni spectare bonum commune; ut contingit decernere cui nam potius agibili sit huic vacandum hîc, & nunc, particulari ne, an

6. Eth.

Nic. c. 5.

communī, regnī, vel domūs, vel exercitūs; quia vacare cuivis agibili ex his potest esse vel bonum, vel melius ipsi operanti, consideratis circumstantiis, personæ, temporis, &c. Quatenus ergo *PRUDENTIA* spectat hōc modō bonum commune, una virtus est specie specialissima, estque ipsa *PRUDENTIA* particularis, quæ sub formali ratione boni ipsius operantis complectitur materialiter objecta reliquarum Prudentiarum universalium.

IV. (3) Posse quis putare *PRUDENTIAM* ut est circa bonum particulare operantis, & recta ratio agibilium particularium, non esse speciem ultimam, sed genus ad varias & diversas *PRUDENTIAS*; e. g. demus, triplex esse genus agibilium particularium triplicem virtutem moralem distinguendum, *Iustitiam, Fortitudinem, Temperantiam*. Ergo & triplex ratio horum agibilium, id est, triplex *Prudentia particularis*. Dicendum tamē, *PRUDENTIAM* particularem non esse nisi unam specie, nam virtutes morales multiplicantur specie; tūm *ratione subjectorum* ad quæ ordinantur, quæ sunt tria: *Voluntas, Appetitus irascibilis, & Appetitus concupiscibilis*; tūm *ratione objectorum & difficultatis*, quæ speciales sunt in singulis objectis, quorum unum non dependet ab alio; at *PRUDENTIA* ad unum subjectum ordinatur, nempe *intellectum*, & ejus difficultas sola est in attingendo verō practicō, quæ eodē modō se habet in quibusvis materiis; si qua in hōc difficultatis diversitas est, ea provenit ex variis affectionibus appetituum, quæ difficultates superantur à virtutibus moralibus. Præterea ut perfectum iudicium feratur de agibili unius moralis, sæpè pendet ex consideratione agibilium, quæ spectant ad alias Virtutes: hinc sint, ut non possint distingui plures *PRUDENTIÆ* ratione Objectorum, quia objectum semper est unum, seu sub unâ ratione, nempe agibile rectum, quod ratione circumstantiarum complectitur omnia objecta virtutum moralium. Ex quō intelligitur, cur *ARS* non sit unâ specie, ut *PRUDENTIA particularis*, sed *multiplex*; quia artium objecta non habent connexionem inter se, quam habent objecta *Prudentiæ*.

## IX. PROPOSITIO.

Th. I. **D**E ratione singularitatis, quæ est in Objecto Prudentiæ, sive de *Circumstantiis*.

Dictum

II. Dicitur est *objectum* PRUDENTIÆ esse *agibile singularis* videndum ergò nunc est, quid ea *singularitas* sit? Hujus autem cognitio utilis etiam erit ad Spontanei rationem melius intelligendam, quæ maximè ad Moralis Doctrinæ *objectum* attinet. Spontaneum definitur, ἡ ἀρχὴ ἐν αὐτῷ, εἰδὼν τὰ καθ' ἑκάστω, ἐν οἷς ἡ πρᾶξις h. e. cujus Principium est in eo, qui agit, particularia cognoscente, in quibus actio consistit. Intelligitur ergò Spontaneum ex particularium seu singularium explicatione, quâ agens singulas actionis circumstantias scire tenetur.

Arist. 3.  
Eth. Nic.  
c. 1.

III. Circumstantiæ sunt octo: *Quis, quid, circa quid, quo, cur, quomodo, ubi, quando.* Hæ circumstantiæ versu efferri solent:

*Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.*

Circumstantiæ dicuntur comparatæ ad humanum actum, quia non sunt ipse principalis actus, sed ad ipsum spectantur, ut accidentia quædam, seu adjuncta. Habent autem respectum ad ipsū, vel ut *causa efficiens* ipsius, vel ut *objectum*, vel ut *modus*, vel ut *locus*, vel ut *tempus*. Si in agendo harum *circumstantiarum* aliqua ignoretur ignorantia, quæ dicitur antecedens, id quod per actionem fit, involuntarium dici consuevit: quia est nihil volitū, quod non sit cognitum. Necessarium porrò est ad prudenter agendū singulas actionis circumstantias attentè considerare ac perpendere. Nunc singulas explicemus.

IV. *Quis* personam significat, quæ agit. Ad rationem hujus circumstantiæ spectat agentis conditio, ut quòd sit *doctus* vel *indoctus*, *superior* vel *subditus*, *Nobilis* vel *ignobilis* &c. Hanc *circumstantiam* non ignorat is, qui agit, nisi mentis compos non sit. *Quid*, est rationis effectus seu immediatum *objectum*; ignoratur hæc *circumstantia*, cum quis putans se aliquid facere, efficit aliud; ut *qui volens Catapultæ seu balistæ usum & ferendi rationem alteri ostendere*, amicum percutit, dum in eâ tractatione spiculū manu fugit. *Circa quid* seu *in quò* est materia sive *subjectum*, in quò versatur actio, ut: *interfectio circa feram*, vel *amicum* vel *hostem*. *Quò* significat *instrumentum*. *Cur* est *finis* & cujus gratia fit actio non *finis* immediatus, quia is est idē cum *objecto* actionis; sed *mediatus*, ad quem actio & actionis *objectum* ordinatur sive ex se, sive ab operante. Hæc *circumstantia* interdum ignoratur, ut,

ur, ut,

ur, ut, *cum quis sanare volens, occidit*; contingit autē ignorari ex ignorantia conditionis, quæ est in mediō, ut, *cum ignoratur, medicinam, quæ adhibetur ad sanandum, habere vim occidendi*. Quomodo significat actionis modum: qualis est in percussione *levitas*, vel *vehementia*. Ubi est locus, in quō fit actio: Loci condiciones considerare solent, ut, *an sacer sit? an prophanus? an frequens?* Quando tempus significat.

V. Inter has *circumstantias* non numeratur *quoties* seu *numerus actionis*, quia *numerus* non est actionum *circumstantia*, sed ipsæ plures actiones ac actionum substantiæ. Præcipuum autem in his actuum moralium *circumstantiis* locum obtinet *finis*, quia moralitatem habet actio ex eō, quod est voluntaria: voluntatis autem motivum & objectum est *finis*, à quō etiam habent imediata actionum objecta, ut appetantur, ac proinde voluntaria sint. Quicquid enim appetitur, aut per se appetitur, aut propter illud; Quod per se appetitur, rationem *finis* habet; quod propter aliud, rationē appetibilitatis habet à *sine*. Præcipua ergo *circumstantia* est *finis*, quippe qui & ad causam efficientem spectat, & ad formalem Moralitatis. *Secundum locum* habet *quid*, seu *objectum*, quia ipsam actionis substantiam specificat.]

X. PROPOSITIO.

Singularitas objecti moralis, circa quod *PRUDENTIA* versatur, est ipsa Principalis ratio ejus, quod fit cum connotatione circumstantiarum.

II. Quod id *quod fit*, seu actionum humanarum effecta connotent *circumstantias*, nullū est dubium, quia *contingentia* sunt. *Contingentia* autem cum fiunt & causam efficientem connotant, & finem. Quod autem actionis *circumstantia* ad objecti moralis *singularitatem* spectent, & innuit Aristoteles, cum *spontaneum* definit, cujus principium est in eō, qui agit, particularia cognoscen- te, in quibus actio consistit. *Particularium* autem nomine intelligit *circumstantias*, ut clarè colligitur ex totō contextu. Et probatur *ratione*: Nam *singularitas* in aliquā re nihil aliud est, quàm ipsa entitatis rei determinatio: objectum autem morale in ratione objecti moralis, i. e. voliti à voluntate cum advertentia rationis, in suā determinatione, ut sit tale determinatum volitum, non

3. Eth.  
Nic. c. 1.



non solum includit effectum, qui per actionem fit, sed etiam *circumstantias*; quia rationale agens non solum considerare debet effectum actionis, sed etiam *circumstantias*; quare cum vult effectum, vult etiam, aut modo intelligitur velle etiam *circumstantias* illius. Ergo etiam *circumstantia* ingrediuntur rationem *objecti* voliti, seu voluntarii, seu moralis, cum voluntas fertur in effectum; ex quo intelligitur *circumstantias* in ratione voluntarii non esse meras *circumstantias*, sed integrare ipsam determinationem ac singularem rationem *objecti*; habere autem rationem merarum *circumstantiarum* comparatas ad effectum & ad actionem, per quam fit effectus. Porro *objectum* tribuit speciem actui; ergo *circumstantia* cum habeant rationem *objecti*, tribuent speciem actui, ac proinde bonitatem, & malitiam, quæ consequitur ad esse specificum morale. Cui autem actui tribuunt speciem? Tum ei, per quem sunt volitæ, aut subintelliguntur esse volitæ, i. e. actui interno; tum actioni, per quam fit effectus, qui connectionem habet cum *circumstantiis*; quia effectus talem speciem tribuit actioni, qualis ipse est: at est *circumstantionatus*, (ut ita loquar) seu connotans *circumstantias*. Ergo speciem *circumstantionatam* tribuit actioni, per quam fit, seu speciem connotantem alias species morales sibi adjunctas, ut accidentia quædam.

III. Ex dictis intelligitur, unde habeat *actus tum internus, tum externus* bonitatem & malitiam moralem; nempe tum ex *objecto*, tum ex *circumstantiis*: Nam bonitas & malitia moralis in actu est conformitas vel difformitas cum ratione. Habere autem possunt conformitatem & difformitatem cum ratione tum *objecti*, tum *objecti circumstantia*. Porro appetitus rationalis munus est, appetere bonum hominis, ut homo est, & media ad id bonum. Bonum autem hominis, ut homo est, sunt virtutes & felicitas; est autem rationis munus dirigere media ad illud bonum. Quare quoties homo cum advertentiâ rationis operatur, debet versari circa *objectum*, quod sit bonum homini, ut homo est, aut medium ad illud. Hinc fit, ut in actu exercitio nulla sit actio, quæ vel bonitatem vel malitiam moralem non habeat, quia licet contingere possit, ut aliqua actio ex se & ex suo *objecto*

Actio neque conformitatem, neque difformitatem habeat cum ratione, quia ex se neque spectat ad bonum hominis, neque ei contraria est, ac proinde ex se indifferens sit, neque bona formaliter, neque mala, ut: festucam hominis tollere: tamen ut est in actu exercitio, i. e. ut circa eam actu versatur homo cum advertentia rationis, (quod est esse singularem & in individuo, ut nos supra explicavimus,) necessario aut bona aut mala est ex aliqua circumstantia, modo ex fine; quia vel a ratione ordinatur in bonum hominis, & ita bona est ex fine; aut non ordinatur, & mala est ex carentia finis, quem debet habere ut objectum est, circa quod ratio versatur. Porro, ut actio ex se indifferens sit actu bona formaliter ex fine, satis putamus virtualement actionis ordinationem ad finem seu bonum hominis & implicitam ac subintellectam, etiamsi cum actio sit, non sit in actu ea ordinatio. Tantum de *PRUDENTIA* diximus.

IV. Quicquid autem diximus, id Excellentissimo WEISSIO, Patrono, ac Praeceptoris nostro haecenus in Philosophicis fidelissimo ascribimus, & Clarissimo HARTNACCIO, Fautori & Amico magnopere colendo, qui & olim in studia nostra Philosophica summa industriam non parum contulit. BENEVOL. LECTOR hisce contentus erit, nihil enim, ut speramus, quod proprie ad rem faciat, omissum est, & cogitabit cum Varone: nec simul & semel omnia dicere aut docere unum posse, quae in rem aliquam sunt; nisi qui unus potest omnia, & qui unus & omnia simul est, cui

Immortales agimus & habemus gratias.

Prov. 2. v. 6.

יְהוָה יִתֵּן חֲכָמָה מִפִּי דַעַת  
וְתִבְוֶנָה

In fine l. 6.  
de caus.  
lat. Lingu.  
fol. 92.

COROLLARIA.

I.


Genus suppositi non est substantia. Contra Goslavium. Vid. solidissimas rationes Magnifici, & de Ecclesia Christi meritissimi THEOLOGII *Joh. Andr. Lucii*, Patroni, Promotoris ac Patruelis omni animi submissione perpetim colendi disp. Met. de supp. & pers. th. VII. Witteb. Eod. Praesid. hab. anno 1649.

II. Corpora naturalia non agunt quantitatis operam.

III. Singularia non sunt praedicabilia, sed subijcibilia.

IV. Quod Apostoli Symboli Apostolici autores sint, nondum clare pervidere possumus.

V. Sine cognitione accentuum Hebraeorum sensus genuinus Spiritus Sancti minus accurate assequi potest.



L. D. B. V.

**L**UCIUS è cathedrâ studii dum monstrat acumen  
 Ingeniique decus comprobat ipse sui ;  
 Laudatore quidem nullô , reor, indiget. Ergò !  
 Sufficiat verbis vota tulisse tribus :

JOVA secundet opus ! Studiorum germine surgat  
 Spes Patris, et Patriæ crescat honore bonum !

Benevoli affectus mentem contestari voluit

LAURENT. Strauß | *Med. D. huiusq; & Phys.*  
 Profess. & p. t. Acad. Rector.

**H**anc TIBI jam confert, LUCI, *Prudentia* Laudem,  
 Clara TUA & Virtus mox TIBI plura parat.  
 Sic sunt *Majorum Vestigia* ritè legenda !

Sic benè si perges , Gloria *PATRIS* eris !

Hiscè Nobilissimo Dn. LUCIO ad Majorum Gloriam im-  
 pigrè tendenti, Consalino & Conterraneo suo suavissimo  
 de hoc specimine gratulatur ex animo

FRIDERICUS NITZSCHIVS D. Com, Pal, Cæs.  
 Jur. Prof. Ord. & Acad. Synd.

**G**ISSA coronabit, LUCI! tua tempora *Lauro*,  
 Et TIBI, quæ restant, splendida *DRESDA* dabit.

Paucis hisce Per-Eximio & Eruditissimo Dno. CANDI-  
 DATO, Hæredi Paternarum Avitarumq; Virtutum fe-  
 licissimo, Amico & Domestico suo singulariter dilecto  
 prolixissimum affectum contestari, earumq; Virtutum,  
 quibus jam pollet, pietatis se. modestiæ & doctrinæ in-  
 crementum apprecari voluit, debuit

P R Æ S E S.

**S**implicitas multos juvat, & *Prudentia* multos ;  
 Hæc sine testa dolo , nuda sed illa solo.  
 Quarum biga tamen sacris conducere nata est,  
 Ut colubro (*CHRISTI*) juncta columba docet.  
 Ergo *Sophos* inter bene nunc se LUCIUS effert,  
 Congener *Egregii Filius ille Patris* :

Dura

Dum sub *Prudenti*, quæ sit *Prudentia*, sciscit  
*Præside*; mox *Sophiæ* promeriturus opes.  
 Gratulor his ausis! *simplex*, simul auguror &, si  
*Theiologos* sequeris, grande manere decus.

Quod, ut ominabatur, sic ex animo optime merito *Philosophiæ* Candidato vovebat

M. HEINRICUS PHASIANUS,  
 Histor. & Eloqv. Prof. P.

**P**Rudenter LUCI, quid sit *Prudentia*, monstras,  
 Hinc merito capies digna brabea brevi.  
 Gratulor his captis, tandemq; *Parentis* honores  
 Ipse *Tibi* puro pectore & ore precor.

Paucis hisce laudatissimo Dno. CANDIDATO de præ-  
 senti specimine & honoribus propediem insecuturis  
 Lmq; gratulatur

J. C. VVILHELMI. J.U.D.

**P**Racticus est habitus, non est *prudentia* vera  
 Nudum scire bonum, sed virtus facta requirit  
 Et praxin vivam præscribit nescia stare  
 Fixa loco; Longo non est, ut carmine pandam  
 Hæc quæ Socratico nunc tradit LUCIUS ore  
 Et calamo, cujus cordatis pectora flabris  
 Exuberant dudum, cui dux est prævia virtus  
 Et doctrina comes, *Lauri* frondosa *Corona*  
 Currente sequitur, jam jam TE *Giesæ* MAGISTRUM  
 Læta salutabit, quid ego! *Tibi* prospera multa  
 Apprecor ex animo, *Tua* sit *prudentia* *JESUS*,  
 Quo sine cuncta nocent, in eo maneat, abit umbra  
 Illius accessu, vacuas sine eo premis auras.

Pauculis hisce Fautori & Amico suo honoratissimo  
 animitus gratulatur

M. JOH. PHILIPPUS Seipp.  
 p. t. Præc. Classicus.

F I N I S.

Coll. diss. A. 233 misc. 18